# FRAGMENTUM STATISTICÆ GRÆCORUM DE DISCIPLINA CIVIUM ET EDUCATIONE JUVENTUTIS

IN CERTA CAPITA REDEGIT

JOANNES ADÁMI

PROFESSOR STATISTICÆ EMERITUS.

Posonii. Typis Ioannis Nep. Schauff. 1801.

5

Educatio est publicæ felicitatis fulcrum; futuræ enim ætati supplementa bonorum Civium, qui religiosi erga Deum; fideles Principi: Patriæ amantes: officiosi, justique erga concives sint, suppeditat. ita

Representatio SS. & OO.
Regni quoad gravamina
Sess. 14. 1796. 5. Iob. Posony.

# PROLOGUS.

Litem evicit ante vicennium, & si quid excedit, nonnullorum per Germaniam & Galliam potissime Authorum sententia: Juventus liberius educanda est. Quapropter etiam per ditiones austriacas & Hungariam Altissimis ordinationibus par educatio tentari cæpit.

Anno quippe 1784. exsoluta fuit pars Juventutis tenerior & adolescentior a Contuberniis seu convictibus occasione traductarum in alia loca Academiarum.

Anno mox sequente 1785 dispensata fuit a veteribus loco & tempori defixis religionis exercitationibus; sacris videlicet dictionibus, in propriis sacris ædibus, ab oratore sacro proprio proponendis; a missæ sacrificio, quotidie, coram Moderatoribus audiendo; a menstruo usu sacramento pœnitentiæ & Eucharistiæ; a cætibus marianis, aliisque pluribus devotionis actibus;

atque relictus fuit cujusvis arbitrio horum usus, modus, tempus, locusque. Data est autem facultas, Theatra, saltatus publicos, aliaque hilaritatis consumtionisque Fana accedendi ut libuerit; quibus quasi vehiculis ad politiorem moralitatem, & cultiorem civilitatem svavius adduceretur.

Denique tolerantiæ gratia Directores, Professores, auditoresque religionum omnium ad Academias & Gymnasia & pædagogias Catholicas admissi sunt, non vicissim.

Verum paucos post annos queri cœpit pars Publici contra in crescentem juventutis dissolutionem. Ad clamorem publicum excitata superioritas statuit anno 1789: ut juventuti ab aliquo Professorum sacri seu profani ordinis dictiones morales proponerentur Verum vix ullibi, quantum innotuit, ab aliquo suscæptæ sunt.

Mox singulis Professoribus altiore imperio commissum, sese scripto declararent:

An

An præſumta corruptio juventutis reipsa exiſteret ? An Univerſalis eſſet ? An ſecus ? inter quot ? & quos ? & qualis nominatim ? An ſacrorum uſus cujusvis arbitrio relictus, ludicrorum autem permiſsus liber acceſſus cauſa vel occaſio eſſent corruptionis ? Cum in reſponſis ſuis alii aliter ſentirent. inquiſitio & omnis effectus evanuit; præterquam quod ad verbum Dei ſuo quisque idiomate per varias exedras audiendum juventus ordinata fuerit in præſentia unius alteriusve Profeſſorum.

Annis demum 1791 & ſequentibus omnis omnino locorum hilariis publicis deſtinatorum (niſi forte in parentum ſocietate) acceſſus voluntate Regia prohibitus fuit; ſacrorum vero uſus ad normam ſyſtematis Thereſiani reduci juſſus. Non omnia plenum ſortita ſunt effectum; circa licentiam accedendi loca hilaritatis publica discretiores diſſimulantioresque manſere nonnulli Superiorum; & aliquibus

locis

locis nonnisi Anno 1796 exhortatores dati fuere, quibus lege sancitum fuit, ne ultra 20 minuta sermonem sacrum proferrent.

Cum hæ & aliæ similes dispositiones pluribus viderentur adhuc infirmæ, aut remissius tractatæ, rursum a. 1796 repetita fuere in Commitiis multorum vota: juventus ut restringeretur; successere itaque per tempus Leges severiores circum varia objecta, & novissime Anno 1800 prorsus salutares.

Laudabilis conatus. Existimo tamen universim totam juventutis emendationem una duntaxat manu, ac velut uno tantum oculo inspici, & tractari. Leges nempe bonas soli juventuti postulari & præscribendas optari. Errorem hunc publico patefacere, atque Patres Patriæ ad eundem advertere constitui tanto fidentius, quod postrema resolutione Regia accessus jam quidam inchoavit ad ea; quæ meæ intentionis sunt.

Ita.

Itaque mea, vel potius (ut decurſus declarabit) veterum ſapientum ſententia, quisquis aut educationem aut correctionem juventutis ſegregem ab iis objectis ſuſcipit, quæ neceſſarium eum eadem nexum habent, errat ita, quaſi qui horariam Machinam conſtruendam corrigendamve ab Artifice poſtularet, neque tamen rotulas correſpondentes elateresve loco ſibi competente collocandas vellet.

Ad juventutem igitur rite ordinandam non modo natura ætatis habitusque verum etiam Viri, quos publica officia vel opes majores a cæteris diſcriminant, vel illuſtriores natales, deinde Præſides Juventutis, tum Parentes, aliique quos inter moratur juventus Cives, Informatores denique pari neceſſitate parique ſolertia perveſtigandi, atque ad convenientem ſtatum reducendi ſunt.

Sane Alcibiades moderatorem exactisſimum habuit Socratem; ſed quoniam cives

ves opulentiores, inter quos, & Socy nobiliores, cum quibus agebat, corruptiores fuerunt; Alcibiades natura in bonum & malum aptiſſima, corruptiſſimus evaſit.

In eo dein cardo rei vertetur: an reformationis vel perfectionis exordium a juventute ipſa? an vero a parentibus cæterisque majoris & minoris Ordinis Civibus? an ab utrisque una ſumınendum ſit?

Poſtremum iſtud aliquando placuit, verum placuit tum, cum penes Sacerdotes literarum educationis & morum (ut per proverbium dici amat) monopolium fuit. At vetera hæc non paucis jam adeo ſordescere cæperunt, ut ſi quis in libertatem liberiorem, in luxum vel ſcandalum veſtitus, in prodigalitatem apparatus domeſtici & ciborum, in luſus Nepotibus usque perniciosos, in religionis veteranæ neglectum, in liberorum ſtudioſe relaxatam educationem, in impunitatem jam legalem vitiorum, in frequentiam & licentiam ſcænico-

nicorum, in pruritum quidlibet ſcribendi & legendi declamat (ut paucis dicantur omnia) Monachus audit. Ideæ id genus ut monaſticæ ſugillantur. Non educamus, dicitur, Monachos, ſed Mundi Cives.

Verum an hæc recte? ad Genium quidem præſentis ſæcnli complurium deſenſorum, rectiſſime. An vero etiam ad utilitatem publicam? minime profecto; & id ipſum eſt, quod demonſtratum dabo. Si argumentis e ſacris literis, e virorum Aſceticorum doctrinis, e moralibus Sacerdotum libris pugnarem, abiicerer profecto, atque a pluribus ut Monachus, & vel ideo cavendus, vellicarer.

Quoniam igitur cum duplici genere hominum mihi res erit, altero eorum, qui vitia publica Adultorum & juvenum cernunt, et Generationibus ſecuturis omnia periculi plena ominantur; altero eorum, qui cultiores mores ſæculi, illuminatiorem intellectum, elegantiorem vitæ normam

nunc

nunc demum pullulare gratulantur. Cum prioribus planum mihi erit negotium, eandem enim cimbam agitamus; cum cæteris res magis ardua; at novi & hos tractare; Amant hi Philosophos & oratores veteres; oderunt, quidquid a nigra veste consulitur; obsequar itaque genio, & ex iis temporibus, iisque hominibus ratiocinabor, in quibus nullus sacerdos, minus monachus visus; ubi philosophia incunabula sumsit, ubi adolevit, unde colonias duxit. Nec inde adducam omnia, sed paucula, quæ mea libraria suppellex subministrat, sæculum tamen præsens, quale est, quale esse deberet, & quale futurum sit dilucide exponet. Utinam sapiant ex doctoribus vetustis, qui insaniunt ex novis, hic fructus erit optimus legentibus, & lecta applicantibus, hunc quæro, utinam in paucis experiar; spero autem experturum hoc maxime, quod ad eorum ipsorum gratiam usurus sim vetusta aliena imagine; id est;

te-

teſtimonio gentis, quæ nobilis, ſplendida, militaris, generoſa, & ſupra quam Hungarica (cum ſapuit) libera fuit. Quid dein faciant adverſarii, rationis & philoſophiæ, ultra quam expedit, amatores, cum animadverterint, etſi cæcutiunt, manibus palpaverint, eadem prorſus ſenſa, e doctrinis philoſophorum & aliorum moralitatis doctorum, fuiſſe gentis illius illuſtris quam producam, quæ ſerius ſive aſcetarum, ſive Jeſuitiſmi, ſive alius cujuscunque hodie exoſi generis hominum fuerunt. Ut adeo hi poſteriores & exoſi non ſua præjudicia (ut clamatur) ſed veterum ſapientum, & quidem gentilium judicia; non theoriam quamdam novam, ſed praxim veterem experientia firmatam; non qua ire delectat, ſed qua eundum eſt, ad directionem Civium & juventutis educationem applicarint; nec ad educationem hujus ſejunctam, ſed una ad coordinationem omnium ſtatuum & ordinum accomodarint.

Græ-

Græci ſcilicet veteres exemplar ſint aliqua parte ætatis ſuæ Natio libera, militaris, idolorum cultrix, & tamen, ſupra quam credere liberet, moralis & bene ordinata. Suſtentavit characterem hunc, per plura ſæcula, dirigentibus negotia publica & privata optime moratis oratoribus & philosophis; concidit tendem, cum his neque fidem amplius neque obedientiam præſtaret; effæminata, diſſoluta, ſerva facta eſt: cur ita? quia a modeſtiæ veterioribus inſtitutis declinavit; cum ſibi pulcrior quam honeſtior viſa eſt; ſive, cum jucunda præ honeſtis placuere.

Primos lapſus corrigere vel impedire conati ſunt rurſum alii æque juſti oratores, philosophi; ſed tum jam erat duplex horum genus; alii rigorem veterem reſtituere urgebant, & jam ridebantur; alii auribus prurientes de ſplendore corporis cultuque magis, quam animi ſolliciti ad latus aſſurgebant, & his thus adolebatur.

Imi-

Iminebant deteriora Nationi, Generationi; adhuc inventi ſunt, qui clamarent: ſopiendum etiam per flammas incendium; verum fruſtra erant: præplacebant nugæ juvenum, ad has accedebant lippis jam oculis ſeniores, quaſi ut diſcipuli juniorum. In ipſum ſacrum tribunal areopagiticum admiſſi juniores ut corrigerentur majeſtate agendi ſeniorum, verſa eſt alea, & ſeniores principia juniorum amplectebantur; ſic filii patribus, filiæ matribus leges dictabant. Dum tandem nati cum parentibus, ſeniores cum junioribus, uno velut abrepti torrente, in contemtum religionis in diſſolutionem morum, in amisſionem ſubſtantiæ domeſticæ, in ſervitutem denique alienam ſunt projecti.

Teſtes eventuum talium optimi ſunt coævi, & quod amplius avtopti; talem præ cæteris delegi Isocratem, oratorem magnum, Civem optimum Status Athenienſis, Senecio erat nonagenarius, vidit ſuam

R.

R. P. cum viribus & moribus & gloria apud exteros floreret; vidit, cum ad omnia vitia sensim defluxit; vidit effectus, videlicet: ut a malis moralibus primum, deinde a Macedonibus turpiter sub jugum missa fuit. Hic itaque experientia propria doctus in orationibus suis omnium epocharum imagines dedit vivacissimas. Hic practice docet, quam integræ vitæ, castæque religionis fuerint longo tempore concives sui; exponit modos, quibus integritas hæc subnixa fuerit; ostendit, qualis ea ætate juventus fuerit; profert media, quibus juventus provectior recta patrum vestigia sequi vel voluit, vel debuit; recenset facta, quibus seniores corrumpi cæperunt, quam paribus gradibus juventus a sua innocentia, obedientia, imitatione seniorum delapsa sit; explanat denique, quos tristes effectus utrorumque in sacris & moralibus degeneratio pepererit.

Hoc

Hoc ille ſparſim; ego in unum conſpectum dabo, & ne unicus ita ſenſiſſe videatur, adjiciam ſimillima ſenſa ex Platone, Xenophonte. Plutarcho, & ne quid ſubreptitium exiſtimetur, loca indigitabo, in quibus omnia reperire licebit in fontibus.

Similia de Romanis adici poſſent, niſi idem prorſus filum actionum & fatorum in utriſque reperiretur. Livius. Cicero, & his longe poſterior Seneca liberalem darent diſſerendi materiam. Utrique vetuſto populo comparari facile poſſet hodierna Gallia. Polonia. Italia aliæque complures gentes, niſi hodierna eſſent, & ante oculos omnium, e quibus quis non videat, parem interitum paribus viis omnium ſæculorum nationibus eveniſſe, & qui has ſequi velint, imminere; verum non moror reliquas, habent ſuos Doctores, mihi Patria cordi eſt, hanc ſalvam cupio. Itaque ad rem,

Con-

# CONSPECTUS MATERIARUM.

# FRAGMENTUM
## STATISTICAE GRAECORUM.
## CAPUT I.
### DE AUTHORITATIBUS PUBLICIS.
### §. 1.

Isocrates in oratione Panegyrica. edit. Ingolstadiens. a. 1600. pag. 46. &c. Cives in officiis publicis constitutos, his verbis describit.

Qui summae rerum praefuerunt, praepararunt posteros, & populum ad virtutem cohortati sunt. Publicas opes administrarunt ut privatas. Felix is dicebatur, qui maximas laudes meritus est, & Liberis suis honestissimam famam reliquit. Magis erubescebant, si quid privatim delictum esset, quam nunc publice peccasse pudeat. Operam dabant, ut leges accuratae & praeclarae essent. Factiones inter eos erant, utri suam in Civitatem beneficen-

tiam evidentius declararent. Societates coibant, non ob privata commoda, ſed propter populi emolumentum; Duces potius quam Dominos appellari; ſervatores non vaſtatores nominari cupiebant. Non ſuperbiebant ob potentiam. Vitæ modeſtiam laudi ſibi ducebant; erga imbecilliores ita affecti, ut potentiores erga ſe affectos eſſe voluiſſent.

In Oratione Areopagitica pag. 136. ſequentia addit:

Qui Civitatem gubernabant, non ſic Cives erudierunt, ut in Legum neglectu libertatem, in audacia æqualitatem, in licentia felicitatem poſitam exiſtimarent; ſed cum tales odiſſent & punirent, Cives univerſos meliores, & modeſtiores effecerunt. Non omnes promiſcue ad magiſtratum admiſerunt, ſed optimum quemque, & muneri aptiſſimum prætulerunt; nam ad eorum exemplum, penes quos ſumma rerum eſſet, etiam cæteros ſe compo-

po-

posituros sperabant. Laboribus & frugalitati assveverunt. E publico rem privatam non stabiliverunt, sed de suo potius Rem publicam juvabant; nec melius sciebant, quos e Curia, quam quos de suo reditus haberent. Illis temporibus difficilius erat in venire, qui rempublicam capessere vellent, quam nunc, qui ejus administratione carere possint; nec enim reipublicæ curam negociationem, sed occupationem existimabant; nec computabant, an magistratus sordidi aliquid lucelli relinquat.

Xenophon edit. Anglic. a. 1671. Theatri scheldoniani in R. P. Lacedem. pag. 81, similia profert:

Præstantissima dignitate Viri maxime Magistratus observant, ac sibi gloriosum putant, si humiles sint, & non incedendo, sed currendo dictis audiant; existimant enim, si ad summam obedientiam præstandam duces ipsi fuerint, etiam alios ipsorum exemplum secuturos; quod animadverterint

 obe-

obedientiam summum & in Urbe, & apud exercitum, & in familia bonum esse.

Idem ibid. pag. 95.

Scio Lacedemonios pridem maluisse domi, modicis cum facultatibus consvetudine mutua uti, quam in præfecturis Civitatum per Assentationem degenerare. Scio peregrinos ob eam causam olim ejectos fuisse, neque concessas peregrinationes, ne ab exteris Cives improbitatem haurirent. Fuit item aliquando tempus, quum in id operam dabant; ut Principatu digni essent, nunc id magis enituntur, ut imperent, quam ut imperio digni sint.

Idem in oratione de Agesilao R. spart. cap. 5. pag. 38. dicit:

Id scimus omnes, quod minime occultum esse possit, quidquid homines illustrissimi agant.

Idem Librum de Proventibus ita inchoat pag. 249.

In hac sententia sum perpetuo, quales sint Præsides, tales & Res publicas esse.

Ca-

# CAPUT II.

## DE CIVIBUS PRIVATIS.

### §. 1.

**Isocrates in orat. Areopagitica pag. 140. horum characterem sic refert.**

In privata vita alii alios sic curabant, ut cordatos viros decet, nam & tenuiores cives non invidebant ditioribus, & locupletes necessitatibus illorum, qui re minus lauta essent, subveniebant; non enim minus tutam putabant pecuniam aliis mutuo datam, quam domi repositam.

### §. 2.

**Idem ibid. pag. 144. docet, quomodo correcti Cives immorigeri**

Adultis omnem quidvis agendi licentiam non dabant, sed qui jam integra ætate erant, diligentius observabantur, quam in pueritia. Majores enim nostri modestiæ tantam rationem habuerunt, ut senatum Areopagiticum censuræ morum præfecerint,

in

in quem ordinem admitti nefas erat, nisi virtute ac modestia spectatissimos. Non contenti bonas leges tulisse, de cætero negligentes erant, sed unius cujusque vitam spectabant, & immodestos in senatum ducebant, is vero alios monebat, alios puniebat. Fieri enim nequit, ut a peccando deterreas, & ad alias cogitationes impellas, nisi delinquentes acriter objurgaris; & ubi nulla severa judicia exercentur, ibi etiam bona ingenia corrumpuntur. Ubi autem delinquentes neque facile delitescunt, neque veniæ spem habent, ibi morum pravitas aboletur. Illi igitur Cives in officio continebant & pœna, & vigilantia; tantum enim aberat, ut laterent eos hi, qui deliquissent, ut ante animadverterent, quosnam verisimile esset peccaturos esse.

Xenophon in R. P. Lacedem. pag. 81. aliam pœnæ speciem assignat.

Quivis pudendum duxerit hominem ignavum (a) in idem contubernium admit-

mittere; Vir hujusmodi pro ſupervacaneo ubique relinquitur, in choris ad ignominioſa loca rejicitur, in via quaque aliis ut cædat, neceſſe habet, honeſtæ famæ homines non imitetur, niſi a melioribus verberari velit.

*(a) Xenophontis kakos verſor Anglus reddidit latine: ignavus. Verum ex ipſo ſenſu, & Lexico græco Scapulæ melius: improbus ſceleratus homo diceretur, cum tam graves proſtitutiones eum manſerint. Ex his fortaſſe pœnis & Paulus ad Corinth. utpote græcos cap. 5. præcepit: ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut raptor, cum hujusmodi nec cibum ſummere.*

## §. 3.

**Quæ Leges huc accommodæ latæ?**

Ex Iſocrate. Plutarcho. Demoſthene. Lyſia. Euripide & aliis ex traxit ſequentes Scheidmantelius:

Nemo inutilis ſit R. P: Nemo indifferens in

gra-

gravibus negotiis: Sana non est Civitas, quæ peregrinos non abigit, ne confusi Civibus, Luxus & mollitiæ, & compendii imprimant iis amorem privati: Liberos vetentur ex alienigena tollere, Alias recenset Martinius in Hist. Jur. Civ. ut sunt: Una tantum ducatur Uxor, idque inter legitimos gradus: Luxuriam & ebrietatem omnes vitent: Poetæ, nisi a magistratu probati, in populo non tolerentur: Comædiæ non exhibeantur; ante a. 30. ætatis nemo ad forum accedat.

## CAPUT III.

### DE RELIGIONE CIVIUM.

### §. I.

Isocrates in orat. Areopag. pag. 140. docet quales fuerint in hac exercenda.

Quod ad Deos imortales attinet, non perturbate vel ipsos colebant, vel eorum festa celebrabant, nec levi quapiam de cau-

sa

ſa patria ſacra omittebant, neque peregrinas ferias agitabant. In templis autem religioſiſſime ſacrificabant, nec a patribus accæptum quidquam abrogabant. Quapropter etiam Diis mutua eorum cura fuit.

Idem in Panegyrico adjicit pag. 100.

Iis autem nemo fidem haberet, qui in templa graſſari non dubitaſſent, & quos cernerent bellum religioni intuliſſe.

## §. 2.

Quæ religioſitas militiæ? hanc refert Xenophon in R. P. Laced. pag. 91.

Ante expeditionem militarem primum domi adhuc ſacrum Rex Jovi facit; ad regionis fines rurſum ſacrificat. In caſtris veſperi poſt Cœnam hymnos Diis cecinerunt, quibus eſt facta res ſacra.

Idem in Orat. de Ageſilao

Cantavit hymnos Deorum, credens, eosdem non tam ſacrificiis, quam piis operi-

ribus delectari, & subjungit: quomodo non cedant bene omnia exercitui, in quo Viri Deos colunt.

## §. 3.

**Plato in Libro Legum, Dialogo IV, sequentibus svasit religionis cultum.**

Bono homini Sacrificare, & cum Diis conversari, & preces, & donaria, & omnem Deorum cultum præstare, pulcerrimum, & optimum, & ad felicem vitam maxime utile est, & excellenter decorum. Malo vero his contraria; impuram enim animam malus habet, puram vero bonus. Frustra multum laboris insummunt impii; at piis omnis labor oportunissimus est; hic igitur scopus est, ad quem conjectare oportet.

## §. 4.

**Idem effectus contemtæ religionis & Legis exhibet in Critia sive Atlantico.**

Talem potentiam Deus in eosdem locos (loquitur de felicitate Insulæ Civium in-

innocentium) provexit ad multa sæcula, quam diu divina natura in ipsis duraret, & Legibus obedirent, & erga Numen benigne affecti essent; quamdiu præter virtutem omnia contemnentes, præsentia parvi ducebant, & non præ deliciis ebrii; neque præ mero cæcutientes errabant. Postquam vero divina sors in ipsis exilis fieret, humanus autem affectus invalesceret, tunc jam præsentem rerum statum ferre nequeuntes, turpiter se dabant, & ei, qui hæc videre posset, turpes videbantur; verum his, qui veram ad felicitatem vitam cernere non possent, tunc sane maxime pulcri, & beati esse putabantur, cum injusta avaritia ac potentia abundarent. At Deus, qui justis imperat, ut qui talia intueri non potest, cum gentem misere affici intelligeret, de ipsis supplicium sumsit, quo castigati concinniores efficerentur.

Idem,

Idem, eodem Libro, Dial. III. sequenti progressione utitur.

Libertatem consecuta est licentia, hæc vero impudentiam peperit, ad hanc audendam per nimiam libertatem progressio fit. Ex hac libertate consequitur ea, ut Principibus servire nolint, & ad hanc sequens; ut Patris & Matris & Seniorum servitutem & admonitionem fugiant, & ubi prope ad finem devenerint, ut Legibus obedire recusent; in ipso vero jam fine, ut jusjurandum & fidem & Deos omnino non curent.

## §. 5.

Isocrates, in Panegyrico pag. 70. & seq. ostendit hæc verificata fuisse in Græcis corruptis.

Qui in Decurionum fuerunt numero Patriam afflixerunt, suos ipsi Cives violarunt, nullam injuriam prætermiserunt, a nullo turpitudinis & sevitiæ genere sibi temperarunt; dementissimos pro fidelissi-

mis

mis habuerunt, & proditores, ut beneficos coluerunt, mancipiis servire voluerunt, quo patriæ suæ liceret insultare. Eos, qui se nefariis cædibus contaminarunt, magis quam parentes suos honorarunt. Indicta causa plures interfecerunt; Exilia porro & seditiones, & Legum confusiones, & R. P. mutationes; stupra præterea liberorum, & probra Uxorum, & dilapidationes substantiarum quis possit enumerare. Quis talem statum expetat, quo intra ipsa mænia Cives inter sese prælientur; quo, propter mutationum frequentiam, ii, qui Urbes tenent, rebus suis diffidunt magis, quam qui exiliis sunt mulctati; nam illi quidem impendentia mala formidant, hi restitutionem exspectant. A libertate quidem tantum absunt, ut aliæ a tyrannis teneantur, Aliæ funditus eversæ, aliæ oppressæ jaceant.

Homines corruptissimi ingeniis, corpora quidem propter divitias exornant, animis autem humilibus præditi, Cum quidem

ho-

hominem mortalem adorent, Deos autem magis, quam homines contemnant. Partim abjecte, partim ſuperbe viventes.

Alii in ſuis Urbibus per injuriam occiduntur, alii peregre oberrant, multi apud hoſtes ſtipendia facere inopia coacti, dum contra amicos pugnant, pro inimicis mortem oppetunt.

Idem in Archidamo pag. 312. & ſeq.

Dum libertatem petunt, ſervitute ſunt oppreſſi; amiſſis ſuorum optimis, in poteſtatem peſſimorum civium ceciderunt. Dum ſuis legibus uti ſtudent, in multa & acerba Legibus contraria inciderunt. Seditiones ſingulis fere diebus cooriri vident. Sic denique malis domiti ſunt, ut nec dijudicare poſſint, quinam ſint inter ipſos calamitoſiſſimi. Nulla enim Urbs non afflicta eſt; nulla, cui non a vicinis pericula immineant. Agri vaſtati ſunt, civitates everſæ, privatæ ædes deſolatæ. Tantopere alii aliis diffidunt, ut ii, qui rem habent,

pe-

pecuniam in mare demergere mallent, quam indigentibus impertiri.

Sacris abrogatis, in Aris ſeſe mactant, & nunc plures unius Urbis exules ſunt, quam antehac totius R. P. & cum tot mala enumerata ſunt, plura prætermiſimus quam recenſuimus.

## CAPUT IV.

### DE OBEDIENTIA CIVIUM.

### §. I.

Iſocrates in orat. Nicocles pag. 361. Regem ad Cives loquentem inducit, & quantum ad pacem publicam obedire principi conferat, edocet ſequentibus:

Jubeo unumquemque veſtrum id, quod ſui officii eſt, & diligenter & fideliter adminiſtrare; nam quatenus alterutrum horum omiſeritis, eatenus actiones deteriores eſſe neceſſe erit. Nihil igitur ex mandatis negligite, aut contemnite, cogitantes, non

in

in eo quidem, quod violetur, per se tantum esse momenti; sed sic in ea intenti estote, ut sentiatis, singulas partes id efficere, ut res universa vel præclare, vel male se habeat. Nihilo minus curate mea quam vestra; nec honores, qui iis habentur, qui rebus nostris bene præsunt, parvi æstimate. Alienis abstinete, quo tutius vestras opes teneatis. Tales erga alios vos præbere debetis, qualem me erga vos esse postulatis. Ne ditari potius, quam probitatis opinionem consequi properetis. Injusta lucra, ne existimate allaturas esse divitias, sed periculum allatura. Nihil penitus a me mandatum gravatim facitote. Cujus rei unusquisque vestrum sibi conscius fuerit, eam ne me quidem clam fore existimate. Nihil occultate; scitis enim fieri non posse, quin clandestini conatus magnos terrores adjunctos habeant. Probate actiones, & putate malas esse. quas ignorari a me velletis. Ne reticeatis, si quos vi-

de-

deritis imperio meo nocere, sed & arguite & existimate idem supplicium deberi occultantibus, quod delinquentibus.

Nullas sodalitates, nulla concilia, sine authoritate mea constituite: Nam hujusmodi conspirationes monarchiis sunt periculosæ. Meam amicitiam tutissimam esse putate; & hunc statum tuemini, neque ullam requirite mutationem; non ignari, fieri non posse, quin per hujusmodi tumultus, & Urbes intereant, & privatæ domus evertantur.

Freti estote, non tam mea clementia, quam vestra innocentia. Quo ego tutior fuero, eo vos securiores esse putate; nam rebus meis probe constitutis, eadem quoque vestrarum rerum ratio futura est. Qualia me præsente dictis, talia etiam, cum absum, sentite. Vestram erga nos benevolentiam factis magis, quam verbis declarate. Ita vobiscum actum credite, ut erga nos affecti fueritis. Quales existimatis eos, qui vobis parent, erga vos esse oportere,

tales vos erga meum imperium esse debetis.

§. 2.

Idem ibidem pag. 351. docet; quales oporteat esse Cives erga Uxores suas:

Non potui non vehementer accusare illos, qui ductis Uxoribus, & inita totius vitæ Societate, pactis & conventis non starent; sed tum suis voluptatibus indulgerent, & eas offenderent, a quibus ipsis nulla re offendi vellent. Cum in aliis contractibus æquitatem colerent, solas conventiones cum Uxoribus factas violarent; quæ tanto sanctius custodiendæ erant, quanto sunt aliis interiores, & majores.

## CAPUT V.

### DE CIVIBUS SUCCRESCENTIBUS.

§. 1.

Isocrates in orat, Areopag. pag. 148. necessariam defendit educationem hoc modo:

Homines male instituti Leges etiam exquisitissimas negligere audent; qui autem recte

recte educati sunt; ii demum bonis Legibus obtemperare volunt; quapropter ut puerilem institutionem, sic curabant imprimis adolescentes. Videbant enim eam ætatem turbulentissimis affectibus agitari, & plurimis redundare cupiditatibus; maximeque necessarium esse, ita illam instituì, ut honestis studiis, & temperatis laboribus gauderet. Tenuiores ad agriculturam; & negociationes deducebant; non ignari, & inopiæ causam esse pigritiam, & ad omne facinus inopia impelli. Locupletes ad Gymnasia & Philosophiam adjungere cogebant, ut alii virtutibus excellerent, alii flagitiis abstinerent.

## §. 2.

**Idem ibidem pag. 132. ostendit, qualis fuerit Juventus tempore moralitatis.**

Adolescentes non aleam ludebant, nec versabantur apud tibicinas, aut in ejusmodi conventiculis, in quibus nunc totos dies conterunt. Fugerunt ea solatia, quibus se

nunc totos imergunt. Tunc iis ſtudiis immorabantur, quibus erant deſtinati. Forum autem ita fugiebant, ut ſi quando tranſire cogerentur, id magna cum verecundia, & modeſtia facerent. Senioribus adverſari gravius eſſe putabant; quam nunc Parentes violare. In caupona edere, aut bibere nemo audebat. Gravitati non ſcurrilitati ſtudebant.

## §. 3.

**Idem ibidem cauſam corruptelæ prodit.**

Neque vero quisquam exiſtimet me iratum eſſe iſti ætati, neque enim quidquam harum rerum adoleſcentibus eſt imputandum, & plurimos ſcio eorum iſta ratione minime delectari, qua impune licet petulanter agere, illi potius accuſandi ſunt, qui paulo ante Rem Publicam geſſerunt, iſti ſunt, qui primi huic licentiæ feneſtram patefecerunt.

Idem

Idem ibid. pag. 136. hos malorum authores ſic deſcribit:

Quis non doleat, cum viderit alios in aureis veſtibus ſaltare, in iis hibernare, quæ ego dicere nolo; ſicut & alia multa prætereo, quæ magnum dedecus Rei Publicæ imprimunt, quarum rerum in illo veteri ſenatu nihil erat; Juventutis enim intemperantiam honeſtis inſtitutis, & acri animadverſione coercebat.

Utrumque præmiſſum paragraphum Academia Inſcriptionum Pariſina hac paraphraſi auxit:

Cum Areopagus in ſua integritate fuit, fugerunt juvenes ea ſolatia quibus ſe nunc totos immergunt. Tunc ſola virtus laudi & admirationi fuit. In publicis ſpectaculis raro aderant, & tunc cum omni modeſtia, ut appareret, hæc ſibi non placere. Contemtus ſeniorum, & eorum doctrinæ graviſſimum habebatur ſcelus. Popinas & tabernas ingredi pudor erat. Non placuere niſi ſeria. Nunc longe alii guſtus; com-

pa-

patiendum juvenibus, nec illi culpandi, sed ii, qui ad clavum sedent, & hæc non impediunt, imo promovent, hi sunt, qui omnibus malis januam pandunt, dissimiles iis, qui olim hæc mala impediebant.

Sed nempe hi ipsi tempore innocentiæ & integritatis morum amabant extra tempus negotiorum in villis suis habitare, non procurrebant ad festa Urbium, nec Theatra suis occupationibus ruralibus præferebant; ridebant eos, qui illustres ædes ponebant, ut super collegas suos eminerent.

Quales tunc debebant esse primores! qui simplicitatem victus, hospitii, morum, exemplo suo protegebant, & effecerunt, ut quisque Civis & necessaria & amæna tuto possideret. Quam invidenda sors illorum temporum, si nostra respiciantur, ubi in tribunalibus quisque fortunas suas passioni Iudicum committere debet, ubi tanta a subditis exiguntur, quanta primores populi abligurire volunt.

§. IV.

## §. 4.

**Plato in Libro Legum Dialogo VI. regulas praescribit sequentes circa superiores juventutis.**

Unus sit disciplinae & eruditionis Curator, Annos natus non pauciores quam 50, & cogitet qui electus est, hunc magistratum ex omnibus, qui in Civitate sunt, longe supremum esse. In omni stirpe si primum germen recte processit, virtutem habet ad hoc, ut finem commodum imponat, atque hoc in ipsis etiam hominibus contingit. Hominem sane animal mansvetum esse dicimus, & profecto, si rectam disciplinam, & felicem naturam adeptus sit; si vero non satis, ferissimum omnium fit. Qua de causa non secundo loco, neque obiter Legislator puerorum educationem fieri sinat, sed ex Civibus eum, qui ad omnia optimus est maxime, quoad fieri potest, ipsis in Praefectum & Curatorem constituat.

Dia-

Dialogo VII. ſic progreditur.

Sine Paſtore neque pecora degere debent, neque pueri absque pædagogis. Puer autem omnibus beſtiis magis intractabilis eſt; cum enim ſapientiæ fontem nondum compoſitum habeat, inſidioſa & acris ac procaciſſima beſtia eſt; quapropter multis velut fræenis ipſum vincire oportet; primum quidem a Nutricibus & Matribus, deinde a pædagogis, tum ab his, qui docent disciplinas.

Verum quicunque ex liberis hominibus caſtiget & puerum, & pædagogum, & præcæptorem, ſi quis horum quid deliquerit; ſi quis vero non caſtiget, primum maximo opprobrio obnoxius ſit, deinde Legum cuſtos, qui ad puerorum Magiſtratum electus, in hunc animadvertat, qui non caſtigavit.

§. 5.

Idem ibid. Dial. 5. regulas præſcribit Parentibus & Civibus, circum quos ſit educatio.

Nemo pecuniarum ſtudio teneatur Liberorum gratia, ut ipſos ditiſſimos relinquat; ne-

neque enim illis, neque civitati hoc melius eſt. Filiis enim pudorem multum, non aurum relinquere oportet; arbitramur autem caſtigando impudentes juvenes, hunc nos relicturos eſſe. Hoc autem non contingit ea exhortatione, qua nunc ad juvenes utuntur, dum dicunt: Juvenem omnia vereri oportere. Sed ſeniores maxime omnium caveant, ut nullus unquam adoleſcens ipſos videat, aut audiat facientes aut dicentes aliquid turpe. Nam ubi impudenter ſe gerunt ſeniores, ibi neceſſe eſt etiam Juvenes impudentiſſimos eſſe; excellens enim Juvenum eruditio non in admonendo ſita eſt, ſed ut quis ea ipſa facere videatur, quæ alius alium admonendo diceret.

**Xenophon in R. P. Lacædem. pag. 70. hæc cupit:**

Alii Græci adolescentes Liberos ſuos Magiſtris committere deſinunt, neque quisquam amplius eis imperat, Licurgus contraria ſtatuit. Nam quod animadverteret,

illis,

illis, qui hac ætate essent, spiritus a natura maximos inesse, maximamque petulantiam redundare, cupiditates denique voluptatum vehementissimas adesse, idcirco tum plurimis eos laboribus subjecit. Præterea instituit, cum animis eorum pudorem inserere cuperet, ut in via manum utramque intra vestem continerent, incederent taciti, nusquam circumspicerent.

Ut hæc curatius observentur præcipit pag. 78.

Ut quisque tam suis, quam alienis liberis imperaret; si quis autem puer verberibus aliquando cæsus ab alio, patri suo id enunciet, turpe est, non eidem alias insuper plagas addere.

**Plutarchus** denique orationem integram de educatione conscripsit, ex qua hæc notasse sufficiet, mihi Edit. Lyps. e versione Junkeriana. 1744. cap. 1. pag. 5.

Qui exoptant parentes fieri liberorum laude dignorum, iis ego hæc imprimis suadeo, ne cum quibuslibet promiscue mulie-

ri-

ribus rem habeant, atque consvetudinem; quorum enim natales vel a Patre vel a Matre aliquid vitii secum habent, eos per omnem vitam opprobria ignobilis nativitatis comitantur, quæ deleri plane non possunt, & iis, qui occasionem afficiendi illos injuria quærunt, sunt in promtu.

Ex Capite XIV.

Eorum, qui jam ex Ephebis egrediuntur, ingentia sæpe fiunt, & atrocia peccata, qualia sunt. Luxuries, furta pecuniæ paternæ clandestina, alea, commessationes & compotationes, amores mulierum. Quare impetus ejusmodi compesci decet, & refrænari; qui itaque ætatem istam non moderantur, imprudenter satis licentiam omnem ad exercenda flagitia indulgent. Ergo cordatos sapientesque patres maxime decet circa hoc tempus invigilare, ut custodiant adolescentes, contineantque eosdem intra modestiæ fines,

Ex

Ex Capite XV.

Oportet parentes exemplum præbere liberis, quod imitentur, partim nihil peccando, partim ea, quæ honesta sunt & recta efficiendo, ut in ipsorum vitam tamquam in speculum, contuentes a turpibus avertantur; etenim qui peccata filiorum increpantes, ipsimet tamen in eadem perlabuntur vitia, hi sane non sentiunt, quod semet sub illorum nomine accusent.

Quo accedit, quod ejusmodi Patres ipsi filiis suis auctores fiunt, svasoresque scelerum. Ubicunque enim senes exuunt pudorem, necesse est & adolescentes inverecundissimos esse.

## §. 6.

Idem orat. eadem cap. VI. præscribit Leges circa Informatores Juventutis.

Postquam eo ætatis puer pervenerit, ut jam sit pædagogis subjiciendus, tunc sane summa adhibenda est cura, ne liberi tra-

tradantur callidis, & ad fraudem acutis hominibus. Oportet autem probum esse pædagogum. Quærendi sunt præceptores, quorum & mores sint honesti, & vita careat opprobrio, & eruditio atque experientia sit haud vulgaris. Fons enim, ac veluti radix virtutis, atque honestatis omnis est proba institutio. Nunc vero jure possis conspuere in quosdam parentes, qui priusquam ullum futuri magistri periculum fecerint, hominibus non probatis, atque adeo obscuris, & malæ notæ viris suos committunt Liberos. Illud autem extreme absurdum, quod etsi sciant, ab aliis admoniti, quanta sit Magistrorum quorumdam ignorantia pariter ac pravitas, tamen iis tradunt pueros suos.

An non consentaneum est veritati, quod antiquus ille Crates dixit: Quorsum tenditis o homines! qui comparandæ pecuniæ omne impenditis studium, sed filiorum, quibus relicturi estis illas opes usque

adeo

adeo exiguam curam geritis; quibus ego ſane & hoc adjicerem: ejusmodi patres perinde facere, ac ſiquis de calceo quidem ſit ſollicitus, pedem autem nihil curet.

Multi parentes usque adeo avaritiæ ſimul & odii in liberos ſuos progrediuntur, ut, ne cogantur paulo majorem mercedem magiſtris ex ſolvere, homines nulla re dignos, & qui vilem ſectantur ignorantiam, eligant, a quibus liberi inſtituantur.

Xenophon lib. de venatione. Cap. XIII. pag. 166. alius generis perniciofos Informatores recenſet:

Mirum hoc mihi de illis hominibus videtur, qui ſapientiæ profeſſores appellantur, quod eorum plerique ſe Juvenibus ad virtutem Duces eſſe dicant, quum potius eis ad contraria ſe Duces præbeant; quippe neminem adhuc vidimus, quem illi ſapientiæ profeſſores egregium virum eſſecerint. Neque ſcripta proferunt, quibus homines effici meliores poſſint; ſed multa de rebus vanis ab eis conſcripta ſunt, ex quibus

bus voluptates quidem inanes Juventus, at fructum virtutis nullum percipit. Equidem ſcio, optimum eſſe id, quod ab ipſa natura bonum eſt, doceri; proximum, ab iis potius, qui vere boni alicujus ſcientiam nancti ſunt, quam ab aliis, qui fallendi artificium tenent.

Proſequitur pag. 163.

Vituperant autem & alii plerique profeſſores illos ſapientiæ ſæculi noſtri, non ſapientiæ ſtudioſos, quod in verbis, non animorum ſenſibus Sapientiæ ſuæ acumen oſtendent; ad fallendum & proferunt, & ſcribunt ſua, lucri ſui cauſa, nec quidquam ulli hominum proſunt; quippe nullus eorum nec fuit, nec eſt ſapiens, ſed unicuique ſufficit habere nomen ſapientiæ profeſſoris, quod apud recte ſentientes ignominioſum eſt.

Quapropter horum ſapientiæ profeſſorum præcepta cavenda moneo, ſapientiæ vero

vero ſtudioſorum inventa, cogitataque nequaquam rejicienda. Nam ut illi ſapientiæ Profeſſores aucupantur eos, qui divites ſunt, & Juvenes; ita comunes ſunt & amici omnibus ſapientiæ ſtudioſi.

## §. 7.

**Iſocrates denique in oratione ad Demonicum regulas vitæ Juvenibus præſcribit, ex quibus ſequentes ſufficiant.**

Deos immortales religioſe colito: Venerare Numen tum alias ſemper, tum maxime, cum ſacra publice fiunt: Talem erga Parentes te præbe, quales in te Liberos tuos eſſe optares: Quæ factu ſunt turpia, ne dictu quidem decora eſſe puta: Exiſtimate maxime decere modeſtiam, verecundiam: ſi quid unquam turpe admiſeris, ne ſperato fore clam; nam ut alios id celes, at ipſe tibi eris conſcius: Deum time; Parentes honora: Amicos verere: Legibus obtempera: Moribus tuis adſit affabilitas,

ver-

verbis urbanitas; eſt autem affabilitatis obvios ſalutare, urbanitatis comiter eos appellare: Dabis operam, ut rebus omnibus imperes, quibus animum ſervire turpe eſt: In veſtitu fac ornatum probes, luxum repudies: Nullius improbi negotii, vel adjutor, vel patronus eſſe velis: Nihil rerum humanarum firmum exiſtima; ſic fiet; ut nec in rebus ſecundis lætitia exultes, nec in adverſis conſterneris.

## EPILOGUS.

Atque hæc ſunt, e variis Philoſophicorum Virorum ſententiis & judiciis excerpta, quæ cum Viri Patriæ amantes, de poſteritate ſoliciti penſaverint, facile pervidebunt, quam varia ætatum conditionumque genera cum recta juventutis educatione, quam que neceſſario conjungantur. Ex iisdem quippe diſcimus alia exigi a conſpicuis familia vel opibus vel officio & dignitate

publica Viris: Alia a comunibus omnis generis & ætatis Civibus: Alia a Maritis & parentibus: Alia a præsidibus juventutis: alia ab informatoribus; ut his, velut anima bene ordinata, dirigentibus, corpus juventutis pariter bene ordinetur. Quasi hi veteranæ & domesticæ experientiæ magistri sæculis longe a se positis Vates agerent, & dicerent:

Si illi, quibus publici cura concredita est, & directio, Ærarium, quod cujusvis manibus percipiendum aut elargiendum traditur, sancte & intemerate administrent, sive illud Regis, sive Comunitatis, sive privatorum, quales pupilli sunt, rationes contingat. Si publici confidentia in iis viris conquiescat, qui causis litigiosis præsunt, aut politicis Negotiis occupantur, eo, quod supplicantes & promte, & patienter, & cum demissione quadam excipiantur, audiantur; & denique responsa studium quoddam succurrendi voce & vultu manifestum

fa-

faciant; si tanta fide inveniantur, ut pecunia iis data mutuo, apud eos tam tuta sciatur, quam domi recondita; si in admissione aut commendatione ad officia non nepotismus, non sangvis illustrior, non largitio motivo sint, sed virtus cum capacitate conjuncta. Si laboriosi, frugales, modesti, Legum & suorum rursum superiorum observantes inveniantur; si oculatiores etiam & pœne insidiosi subditi nihil reperiant in suis Dominis, quod oculos animumque offendat; si hæc inquam via strata Civibus inferioris ordinis pateat; profecto eandem terere contendent, & sese pariter ad omnem recti honestique normam tanto promtius component, quanto nobiliora accurrent exempla; cum nulla etiam exceptionis ob murmurationis patebit via, si per tam regulares superiores actionibus suis vigilias, erratis pœnas positas conspicient.

Si porro exacte laudabiles superiores, seniores, parentes Juventus videat; si eos-

dem frequentes & ferventes in actibus religionis, si modestos in congressibus publicis, si sobrios lingva & gula in mensis. Si denique nihil nisi honestum in oculos & aures ejusdem incurrat. Si insuper contra pullulantes suas passiones sedula accedant monita, si licentiæ primordiis adstrictior pænarum fibula adiciatur; tam parum periculi de ejusdem depravatione aderit, quam nulla est ignoti cupido.

Vertatur scena, & ii, quos Nativitatis aut dignitatis aut sola opum præstantia super cæteros evexit, ex officio nundinationem faciant; tantum a subditis & supplicantibus extorqueant, quantum abligurire volunt, in divitiis, in familiæ nomine, in splendidis ædibus superbiant, Leges, & se majores contemtui habeant. Verbo tales sint, quales alius græcorum eruditissimorum Pædagogi Lib. III. cap. 6. adumbrat; quod equus ejus sit 15 talentorum, ipse vero trium obolorum, aut paulo amplius;

quod.

quodsi a Dominis servos auferas, nihil inveniatur Dominos differre ab emptitiis mancipiis; non incessu, non aspectu, non sermone; quin etiam in hoc disscrepare, quod magis valetudinarii sint. Denique quos auro onustos dicit, ut sordidum marsupium. Quodsi jam his similes, ne seipsos reprehendere aut ante corrigere cogantur, Civibus secundi ordinis omnem libertatem concedant, imo licentiam omnem factis suis approbent, quid pronius est, quam ut isti ex experientia Platonis (ut supra) a licentia ad impudentiam abeant, mox nequePrincipibus neque Legibus obtemperent, in fine omne jusjurandum & Deum ipsum nihili habeant.

Quis jam hoc rerum statu esset, qui aut vellet, aut vel posse existimaret juventutem reddere ordinatam? Quo tunc fructu culparentur in juvenibus ea, quæ ab adultis comitti constaret? quomodo, quod juventus errore, præcipitantia, & quadam

qua-

quasi ætatis venia peccat magis subsummeretur, quam quod ab adultis & conspicuis Viris cum quadam deliberatione, & studio quodam rationis, depravatæ utique, exercetur? Quis alia juventuti persvadeat verbo, cum exemplis seniorum, Parentum, honoratiorum ad contraria permovetur?

Herus plaustrum viginti centenaniis ponderibus oneratum sex equis junxit, præcepit autem equisoni: soli primi hinnuli onus traherent, risere vicini. An æquius non ridendi, qui modestiam, temperantiam, parsimoniam juventuti præciperent, se vero hac Lege exsolutos vellent. Actionum moralitas pondus grave est, pondera natura sua dehiscunt, ut in altum progrediantur, moveri debent, trahi debent, quod efficacissime exemplis fit.

Aut forte emancipatio, Officium, character, opes, ad morum licentiam, ad religionis neglectum, aut plane contemtum, privilegium facit? profecto hoc idem

esset,

eſſet, ac dicere juveni adoleſcentiori : patientiam habe dum ſub ferula es, cum huic manum ſubduxeris , licebit ea agere, & omittere , quæ paſſim intueris. Theatra, ſaltus, cavenæ , res periculi non ſunt, at quia tibi a Principe vetantur, evitanda ſunt, mox ſvaviorem, jucundioremque vitam vivete licebit. Hem quanto aliter noſtri veteres Philoſophi conſtituere !

Poſtremo ut omnia recte decurrant, Areopagitæ Nationis & morum cenſores perſequendos ſibi maxima cura ſummant eos ſapientiæ Doctores, quos ſuperius Xenophon perſequitur , quorum novæ educationis, & Civium inſtitutionis merces, recentiſſimis temporibus fabricatæ , vetuſtis illis ~~minime ſunt comparandæ~~ ; quibus cortex arridet , quia graciosus eſt oculis, ut ſit cunque pomum interius putridum ; hi itaque ſi ex ſe reſipiſcere nolint, adminus ad ſilentium compellantur, & de ſuis

exe-

exedris, quas in ſcriptis, aut in privatis conventiculis erigunt, depellantur.

Ne vero in recenſendis eorum doctrinis & votis nimia exurgat oratio, paucula duntaxat hæc exſtirpanda Axiomata: Mores cum officio nexum non habent: Converſatio ſit libera, expedita, nativa: Cenſura librorum & theatrorum non expedit: Deus ubique coli poteſt: pœnæ infamiæ & mortis ſunt tollendæ; carceres reorum etiam ſint commodi: dilapidatio ſubſtantiæ non eſt malum politicum: quo jure unus millionibus imperat? relinquenda eſt juventus, ut paſſiones ſuas explicet. Quam abſona hæc ſint, & ſexcenta id genus alia, hodie adamata, paucis advertendum.

Primo ſane Axiomati reclamat Xenophon, ac primum quidem ratione ſcandali, cum reflectit, occultum non manere, quod honoratiores Viri deterius agunt; tum ratione imitationis, cum perſvaſum habeat, tales fieri inferiores, quales ſunt ſuperiores.

Hinc

Hinc Isocrates approbat, quod ad Areopagum non sint admissi, nisi virtute & modestia spectatissimi, & ex his adhuc delectiores, quibus Juventutis cura concreditur.

Libera & expedita conversatio non cohæret cum toties repetita apud recensitos Authores modestia. Declinat etiam facile in audaciam & licentiam, quam iidem persequuntur. Minime vero consociari potest cum pudore & verecundia, quam passim urgent.

Quidquid pro libertate præli & scenicorum ratiocinentur nonnulli, sane idem jam inter græcos peroratum fuerit; viderunt tamen occulatiores mala emergentia, quapropter vetuerunt in publicum quidquam produci, quod ante a magistratu probatum non fuisset.

† Verissima doctrina est: Deum ubique coli posse; at quæ corollaria malitia hominum deduxerit, palam est. Nota fuit doctrina græcis, attamen quam religiose ad tempus

pus & locum cultum hunc defixerint, quam vigilantes fuerint, ne novæ religiones ingrediantur, quam acriter easdem perſecuti fuerint, quantum denique nefas fuerit templa profanare, & adducti Authores, & tota græciæ docet hiſtoria.

Pænæ publicæ & graviores & carceres rigidiores philoſophis noſtris ſcandalo ſunt, exterminata volunt hæc, ut ajunt opprobria humanitatis. Compatiuntur iis, quos sors ea tangit, ultra quam æquum eſt; impetunt Magiſtratus, qui pænas dictant, adeo, ut facile quis perſvadeatur eo tendere omnia, ut cum ipſi in reatus ſimiles inciderint, a pænis ſalvi evadant, cum reorum miſereantur potius quam læſorum. Sane horum agendi modus ad ea tempora relegandus eſt, in quibus, ut Iſocrates ait, proditores patriæ ut benefici colebantur, & qui nefariis cædibus ſe contaminarunt, magis quam parentes honorabantur.

Di-

Dilapidationem ſubſtantiæ non eſſe iniquam novi doctores defendunt, ita eſt ſane, ſi ſubſtantia ſola in manibus decoctoris ſpectetur, Nil enim ſit, quam quod hæc in manus alienas tranferatur. Verum an non damnoſum eſt, ſi cives malint ſubſtantiam ſuam in mare demergere, quam decoctoribus credere? An malum non eſt fraudare proximum, cum debitor in utramque aurem altum quietus dormit, & creditori vigilias curarum plenas ridens relinquit? An turpe non eſt, ſi filiis parentes præter triſtem ſui memoriam nil relinquant neque æris, neque pudoris.

Convinci nequeunt novi philoſophi, quo jure unus millionibus imperet? nec tamen de jure quærunt, quo & terras & ſubditos & gazas a parentibus recæperint. Legant igitur attentius quantas utilitates talis regiminis Iſocrates in Oratione Nicocles dicta adferat, & has vir republicanus, & conſentient hodierno philoſophorum Dictato-

ri,

ri, qui mavult ſub unguibus unius Leonis, quam mille glyrium fratrum ſuorum ſive concivium latere.

Explicet denique Juventus libere ſuas paſſiones, quales ei Plato velut innatas depingit, profecto radicabuntur mox ita, ut talis evadat, qualem idem ex ephebis egreſſam producit.

Exulent itaque philoſophicæ viperæ, exulet e patria erronea græcorum ætas, ex domeſticis eorum teſtimoniis depicta, revocetur alia, cujus veſtigia moleſtiora quidem, at fructus longe ſvaviores erunt, quales a bonis omnibus, præſenti ætati & poſteritati exoptantur.

---